



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Libellus Sodalitatis: Hoc Est: Christianarum Institutionum Libri quinque**

**Coster, Franciscus**

**Antverpiæ, 1587**

25 Matutina & vespertina oratio pro rudioribus.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-46553](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-46553)

*Aue Maria. Aue maris stella, & Oratio Dominica, ad Angelum custodem.*

Vtile est aliquid temporis dare meditationi: quia per illam homo mirum in modum ad omnia bona paratur, & disponitur.

CAPVT XXV.

MATVINA ET VESPERTINA  
*oratio pro rudioribus.*

**R**VDIORES, quibus difficile esset predicto modo, vel mane pia meditatione seipsum Deo offerre, vel vesperi conscientiam excutere, possent uti hac, aut simili ratione; Ut mane flexis genibus, facto signo crucis, his verbis orent: Primò: *Domine Deus, ago tibi gratias, quòd hac nocte me cõseruaueris. Pater noster. Aue.* Secundò: *Domine, precor te, vt me hoc die ab omni peccato preserues. Pater noster. Aue.* Tertiò: *Domine, offero tibi omnes actiones meas, rogans vt eas ad nominis tui gloriam dirigas. Pater noster. Aue Maria, Credo in Deum, &c.* Addatur, *Aue maris stella*, aut alia oratio aliqua ad D. Virginem, & Oratio Dominica ad Angelum custodem.

Vesperi autem precari possent isto vel simili modo.

1 *Domine Deus, gratias ago tibi, quòd hoc die me cõseruaueris. Pater noster. Aue Maria.*

2 *Domine, precor, vt peccata omnia hoc die cõmissa, ignoscas. Pater noster. Aue.* Poteritque hinc fieri breue examen conscientia pro captu cuiusq.

3 *Domine, rogo, vt hac nocte me ab omnibus demonis insidijs custodias. Pater noster. Aue Maria.*

G 3 Con-

102 CHRISTIANARVM  
Cōfiteor. *Salve Regina*, aut alia oratio ad D. Vir-  
ginem. denique oratio Dominica ad Ange-  
lum custodem.

CAPVT XXVI.  
MEDITATIONES QUOTI-  
diane, iuxta ordinem dierum  
hebdomade.

PRÆFATIO.

IN TER omnia pietatis veræ exerci-  
tia, Christiane Lector, nihil præstan-  
tius, nihil Deo gratius hominiq. vtilius,  
ac magis necessarium, & ad bene beateq.  
viuendum accommodatius esse potest;  
quàm se diligenter, in assidua vitæ & pas-  
sionis Domini nostri Iesu Christi medi-  
tatione exercere. Id quod non modò san-  
ctissimorum ac eruditissimorū hominum  
exempla & doctrina, sed ipsa etiā expe-  
rientia rerum magistra luculenter osten-  
dit atq. confirmat. Si enim vitia vis fuge-  
re, & peccata declinare: tecum expende,  
quid non egerit, ac passus sit triginta tres  
annos vnigenitus filius Dei, vt te à pec-  
catis ac vitiis omnibus liberaret. Si humi-  
litem, mansuetudinem, patientiā, obe-  
dientiam, charitatem, cæterasque Christi  
vir-